

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Rahn

**Henricus Rahne, I. U. D. Profess. & Decanus, ... Facultas Iuridica Universitatis
Rostochiensis, Ad Disputationem Inauguralem Joachimi Stephani,
Gustroviensis, Magnificum Dn. Rectorem, omnes, ac singulos Cives
Academicos, eruditos, ac literatos amanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766618382>

Druck Freier  Zugang



Ja - 1143 1-58.
= =
<16.76>



42.78

49

HENRICUS RAHNE,

J. U. D. Profess.

& DECANUS,

nec non tota Facultas Juridica

Universitatis Rostochiensis,

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

JOACHIMI STEPHANI,

Gustroviensis,

Magnificum Dn. RECTORUM,

omnes, ac singulos Cives Academicos,

eruditos, ac literatos amanter


invitat.




ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LII.



Dcalcem superioris invitato-
rii programmatiſ, Lector benevole,
quod Disputationi inaugurali fuit præ-
fixum, ſtrictim attigimus, quomodo
Patronos cauſarum male oleentes faciat convicium.
Jam aliquantò pluribū illud profeſqui apud animum
conſtituimus. Præterquam enim qvòd hoc vitium in
ſe detestabile ſit, maximē dedecet in foro versantes,
& cauſas agentes. Contrarium qvippe eſt cauſæ, cui
adversarius contumeliis irritatus, fortioribū, ſi pot-
eſt, contradicit argumentiſ. At multò turpius eſt
cauſidico, nocuiſſe videri cauſæ, qvām non profuiſſe.
Contrarium qvoq; dicenti, qvi maledicendi licentia
ſeſe ſubjicit male audiendi patientiæ. Cui namq; pla-
cet, qvæ vult, dicere, ea, qvæ non vult, audiet. Con-
trarium deniq; Litigatori, qvi invidiæ, aut odio expo-
nitur. Illud verò eſt improbi, ait Cic. & perfidiosi, di-
cere, vel ſcribere, qvod alienum eſſet, & noceret ei,
pro quo quisq; diceret, aut ſcriberet. In primis au-
tem ejusmodi laceſſendi libidine, & conviciandi tur-
pitudine deſtruuntur Gravitas, Humanitas, & Mode-
ſtia, quæ uti optimè conveniunt Advocatiſ, ita illis
tanquam parariis comparantur Benevolentia, Fides,
atq; Autoritas, virtutes plurimū pollentes. Neq;
porrò contemptui tantū objicit hujus criminis le-
vitas, ſed etiam omnium bonorum mentes commo-
vet.



79

vet, & alienat improbitas: cùm maledicus à maleficio non distet, nisi occasione. Turpis voluntas, & inhumana sævities nulli vel audientium, vel legentium si probus sit, grata. Indulgent qvidem hanc licentiam cupiditati litigatores, qvi interdum ultionem malunt, qvàm defensionem; sed id animi pravitatem auget, nec impudentiam extenuat. Hoc namq; qvis hominum, liberi modò sanguinis, sustineat, petulans esse ad alterius arbitrium. In memoriam sibi revocet istiusmodi Defensor, injuriarū teneritam qui mandavit, qvàm qvi mandatū, contumeliam continens, implevit. Qvòd siverò te forsan adversarius lacestiverit, & famam tuā theonino dente roserit, tum non utere talionis lege, neq; respondendo proba, te & qvè esse malū, sed vel defende te juris remediis, vel imitare Antoniū Oratorem, qui, apud Cic. ait, in perferendis injuriis nimis patiens. Et lenis existimor. Ex quo etiam illud assequor, ut si quis mibi maledicat, petulans, aut planè insanus esse videatur. Nam cedendo provocanti non tantum lenitatis, & modestiæ laudem reportabis, sed adversarium quoq; odiosum reddes. Acutè hoc Fabius explicat, quando ait: *Hinc major ad concitandum odium nasci affectus solet, cum hoc ipso, quo nos adversariis submittimus, intelligitur tacita impotentia exprobratio.* Namq; eos graves, Et intolerabiles id ipsum demonstrat, quod cedimus: Ignorant cupidi, aut affectatores libertatis, plus invidiam, quam convicium posse: invidia enim adversarios, convicium nos invisos facit. Hæc, & ejus generis alia

A 2

si no-

si nostrâ ætate obserarentur, melius quidam Advo-
cati, & compendiosius causas agerent, & clientibus
rectius consulerent; & judicē multis molestis suble-
varent; neq; curiæ, prætoria, tribunalia tantā charta-
rum, & inaniarū molē sibi obtrudi animadverterent,
neq; judicia tot obrectationum volumina, in oppro-
brium seculi, posteritati, si quæ secutura est, asservare
cogerentur. Verūm qvis inveterato huic malo manū,
& remedium adhibere vel audet, vel potest. Repe-
riuntur potius, qvi, qvod dici solet, oleum camino
addunt, frigidam vē suffundunt: ut eō magis ordo ju-
diciarius corrumpatur. Cui interdum & hoc vehe-
menter nocet, qvōd juvenes scholis regiis egressi, &
titulis ornati, eruditione qvidem non ineleganti, ac
immaturis profectibūs, & nondum ad res gerendas
compositis in forum prorumpunt, causasq; procu-
rant; neq; jam ultra solliciti de scientiæ incrementis,
sed tantūm de ejus fructu, continuare agendi operam
& ex aliena stultitia quæstum colligere malunt, qvām
præcepta cum experimentis conferendo studia per-
ficeret: quasi satius sit celeriter & multum agere, qvām
bene, & accuratē. Qvorum posterius demum addi-
scimus longo usu, & diligentia: priori id consequi-
mur, ut negligenter agamus & perperam. Nam inde,
ut iterum Fabius, *Contemptus operis innascitur, Et fun-*
damenta jacintur impudentia, Et (quod est ubiq; perni-
ciosissimum) prævenit vires fiducia. Sed hanc rem, tan-
quam litigiosam, ne quis arma contra nos moveat,

apud

49

apud sequestrem deponemus, donec ab æquo quodam arbitro decidatur. Jam nos conferamus ad Dominum Candidatum, **JOACHIMUM STEPHANI**, Gustrovensem, qui ad obtainendum in Jure tanè Canonico, quām Civili Doctoris gradum ac titulum de **SEQUESTRE** disputatus est.

Postquam enim ab initio anni XLV, in regiis vixit scholis, operamq; dedit artibus liberalibus, ac præ- primis studio juris; ejusq; specimina cùm Lipsiæ, cùm Jenæ publicè edidit, censet, non in imis subsistendum, sed ad altiora sibi penetrandum esse, cùm angusti, atque demissi sit animi, honorem, dignitatemq;, laborum quasi mercedem, & virtutis præmium contemnere. Gloriam qværit cum quovis ingenuo, solidam, non adumbratam; ea est consentiens bonorum laus, & incorrupta vox bene judicantium de integritate; qvæ qvia recte factorum plerunq; comes est, ait Rom, Orator, non est bonis viris repudianda. Illa autem, quæ se ejus imitaticem esse vult, temeraria, atq; inconsiderata, est plerunq; peccatorum, vitiorumq; laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis, formam ejus, pulchritudinemq; corrumpit. Neq; naturâ duntaxat, sed & majorum suorum claritate noster Candidatus ad ejusmodi honores ambendos incitatur. Didicit quippe à Sapientibus, eximiā esse virtutem, magnæ existimationis viros imitari, & honestissimum, majorum vestigia seqvi, si modò recto itinere præcesserint. Cujus ordinis vel

A 3

plures

plures potest ille numerarē. Habuit enim Avum pa-
ternum, Propatruumq; JOACHIMUM, & MAT-
THIAM STEPHANI, piē defunctos, JCtos, Professo-
res, ornamenta, atq; columnina olim Academiæ Gry-
phiswaldensis, Consistorii, & Consilii Ducalis in Po-
merania. Avus maternus ipsi fuit ERNESTUS
COTHMANNUS p.m. Antecessor hujus Universi-
tatis qvondam, ac Roseti nostri flos, & lumen, nec nō
Aulæ Gustroviensis Cancellarius fidelis. Idemq; offi-
cium postea adeptus est, & in hunc usq; diem sustinet
illius Frater consanguineus, & Abavunculus Candi-
dati Dn. JOHANNES COTHMANNUS, JCtus
gravis, & Illustrissimis Ducibus Meckelnburgicis à
consiliis intimis. Cui longam vitam, & felicitatem ex
animo precamur. Proavus quoq; maternus heīc præ-
teriri silentiō haut debet, videlicet FRIDERICUS
HEINJCtus, primūm Academiæ hujus Antecessor,
pōst Reipub. Rostochiensis Consul, de utraq; præ-
clarè meritus. Tam excellentium virorum laudatio-
nibus nos hōc locō parciùs utimur, qvòd & affinita-
te ipsis proximē conjuncti, & orbi nota gesta, ac scri-
pta pro ipsis testimonium dicant, neq; unquam ex
animo bonorum omnium memoria illorum disce-
dere poterit: imò proptereos, qui ex ipsis nati, eo-
rum nepotes, & abnepotes, omnesq; posteros disce-
dere non debeat. Nam & ipsi adhuc hodie, ut olim
præclarus ille senex Scipionem ex elucente circulo
inter flamas candore splendidissimo, suos allo-
qvun-

49

qvuntur: Si, cur avus hic tuus, ut ego, qui te genui, Justitiam cole,
¶ pietatem, quia ea vita via est in cælum, beatumq; illud animo-
rum concilium, atq; cælum. Cæterū hæc dum commenta-
mur, non possumus quoq; non nominare Parentem L A U-
RENTIUM STEPHANI, J. U. D. Ducum ac Prin-
cipum nostrorum Consiliarium, Vice-Præsidem in Judi-
cio Provinciali, Assessorem Consistorii, Professorem in hac
Academia, & Facultatis Juridicæ Seniorem, collegam no-
strum colendum, eq; optare, ut hujus sui filii Joachimi lau-
dabiles, & honesti conatus ipsi sint gaudio, decori, & in æta-
te ingravescente solatio. Etenim honor, quem filius (licet
usurpare Nazianzeni verba)

— poscit, **G**enitor clariſſime, patris.

Est mage, quam nati, rediens à prole parenti,

Gloria namq; patrinorum est fama, decuig;

Ut rursus natus est gloria fama parentum;

Gratia communis

Et liberi, licet existant, non tamen existimandi sunt membra
parentum, à quibus degenerant, cùm morum degenerantium
pravitate pereant beneficia naturæ: sic contrà probus filius
parentem bonum lætitia perfundit. Tacemus, qvòd in terris
beatus sit, qui beatus est liberis; & qvod magnum robur ex-
tet senescenti patri progenies frugi. Verùm nolumus hisce
inhærere diutius, neq; plurib; prædicare Dn. Candidati fa-
miliam. Quia & instituti ratio id prohibet, & ipse averfatur.
Atq; rectè quidem. Nam qui genus jaet at suum aliena laudat.

Et genus & proavos, & qua non fecimus ipsi,

Vix ea nostrā puto. Nec non

— cui vita labat, perit omnis in illo

Gentis honos.


Proinde, ne his, & id genus aliis dicteriis notari, aut redargui
queat Dn. Candidatus, suis ipsius factis, virtutibusq; laudem
sibi comparare, & famam acquixere satagit. Eumq; in finem ad
diem

diem VIII. instantis Julii prodibit in publicū; in arenā
Academicā descendet, & disputationem, quam de SEQUE-
STRATIONE conscripsit; pro virili defendet; Sequestris
nomen variū est, & habet tam in Jure, qvām extra illud suas si-
gnificationes. Hinc quemadmodum seminibus, sic etiam cor-
poribus nostris sequestrariū terra est, ait Tertull, illic deponendis, &
reperiendis. Et Idem alibi: corpora sepulchra mausoleis & monumentis
sequestrantur, processura inde, cum iussit Dominus. Non autem
operæ pretium arbitramur, hīc loci multa de Sequestratione
congerere, atq; ita actum agere, cūm quæ ad eam pertinēt,
vel jam in disputatione sint declarata, vel in ventilatione
ejus clariū explicabuntur. Veni igitur Magnifice Dn. Rector,
venite in rem præsentem Dni. Professores, Doctores, Licen-
tiati, Ecclesiæ Ministri, artium liberalium Magistri, Studiosi,
Fautores, & literarū Amatores; conflictum hunc Academicum
vestrā præsentia ornate, operamq; seu vacivis auribūs,
seu linguis faventibūs benignè commodity, cūm nobis, tum
nostro Collegæ, & amico, ejusq; præsertim filio pro summa
Juris dignitate pugnanti. Cogitate religiosam esse curam,
qvæ amicorum liberis exhibetur. Dumq; de Sequestre dis-
putatis, vel disputare auditis, memores estote optimi illius
sequestris, cuius dictus ante Auctor duobus in locis memi-
nit. Christus Jesus, ait in uno, sequester DEI, atq; hominum
appellatus, ex utriusq; partis deposito commisso sibi, carnis quoq; depo-
situm servat in semetipso, arrabonem summa totius. In altero vero
ita inquit: Satis idoneus patientia sequester est Deus. Si injuriam de-
posueris penes eum, ultiō est; si damnum, restitutor; si dolorem, medi-
cus: si mortem, resuscitator est. Resuscitat ille nos ex somno pec-
catorum, ut vigilantes ipsius adventum exspectemus. P. P.

Rostochi, atq; sigillō nostrō confirmatum die XXVII.

Junij Anno salutis M. DC. LII.

• \$ (O) \$ •



58

ando quis obscuro loco natus, fraudulatione, nobili alicui familiae se inferebat titulo cognationis ab aliis, vel ejus familiae, nobilibus pecuniam, vel aliquid dicet, vel alio modo eosdem fallat. o 1615. vagabundus quidam homo co-uelem Phocam, Palatinum Constanti-
cupans, & ex familia illustri Græcorum iactans, adjumento intercessionū, quas tē impetraverat, in plurimorum prin-
cis, & civitatibus ingentem pecuniā & emendicavit; cui postea, ob delicti pœnam dictaverunt Scabini Lipsien-
no 1629. Mens. Martio fœminæ cui-
, ex nobili familia se natam & bonis mutato nomine à Nobilibus pecuni-
, pœnam temporalis relegationis in-
runt. Carpzov. prax. criminal. part. 2.
iam sequenti num. 41. adducit exem-
pli assumpto nomine Advocati cuius-
eius publicè jactayerat, quem postea audia Senatus virgis coedi, & exilio trinvent & hoc exempla relata à Valer,

XVI.

use est, quando quis, personā sua pla-
nen suum mutat, & se pro alio suppo-
ma apud Historicos aliasq; scripto-
inter quæ notissimum est illud Plau-
ptāforma Amphitheatronis, adversus
nocte quadam, velut ē bello rever-
tacubuit. Plura vide apud Johannem

B 3

Cora-